

ANDREAS STANISLAUS KOSTKA

MŁODZIEJOWSKI

53
11

DEI & Sedis Apostolicæ Gratiâ Episcopus Posna-
niensis & Varsaviensis , Abbas Commendatarius
Hebdoviensis, Supremus Cancellarius Regni, Eques
Ordinum Aquilæ Albæ & Sancti Stanislai.

*Universo Clero Sæculari & Regulari Diœcesis Nostræ,
præsertim vero Iis, quibus Officium administrationis
Sacramenti penitentiae est demandatum, vel in
Nº posterum demandabitur; Salutem, & Paſto-
ralem benedictionem.*



Constans est Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ do-
ctrina, posse Locorum Ordinarios, infe-
riorum Sacerdotum jurisdictionem ita
coarctare, ut à grauioribus culpis, quas sibi, suo-
qué Judicio relaxandas reservant, ne in foro consci-
entiæ quidem, & coram Deo Jlli absolvere valeant.

Hanc Catholicam veritatem, ab Hæreticis sæ-
culi XVI. impetitam stabilivit præprimis Tridentina
Oeconomica Synodus Seſſ. 14. de Sacramento peni-
tentiae ubi Cap. 7. Catholicam doctrinam ea de re ex-
ponit; & Can: 11. contrarium sentientes anathe-
mate percussit.

Lubeat h̄ic utriusque Canonis contextum de-
verbo ad verbum describere. Prioris tenor est , ut se-
quitur “ Quoniam igitur natura & ratio judicii il-
“ lud exposcit , ut sententia in subditos duntaxat fe-
“ ratur ; perswasum semper in Ecclesia Dei fuit , &
“ verissimum esse , Synodus h̄ec confirmat : nullius
“ momenti absolutionem eam esse debere , quam
“ Sacerdos in eum profert , in quem ordinariam aut
“ subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnope-
“ re vero ad Christiani populi disciplinam pertine-
“ re , Sanctissimis Patribus nostris visum est , ut
“ atrociora quædam & graviora crimina non à qui-
“ busvis , sed à summis duntaxat Sacerdotibus absol-
“ verentur ; unde meritò Pontifices Maximi pro supre-
“ ma potestate , sibi in Ecclesia universaliter tradita , causas
“ aliquas criminū graviores suo potuerunt peculiari ju-
“ dicio reservare. Neque dubitandum est , quando
“ omnia quæ à Deo sunt , ordinata sunt , quin hoc
“ idem Episcopis omnibus in sua cuique Diæ-
“ cesi in ædificationem tamen , non in destructio-
“ nem liceat , pro illis in Subditos tradita supra re-
“ liquos inferiores Sacerdotes auctoritate ; præsertim
“ quo ad illa , quibus excommunicationis censura an-
“ nexa est. Hanc autem delictorum reservationem ,
“ consonum est Divinæ auctoritati , non tantum in
“ externa politia , sed etiam coram Deo vim habere.
“ Verum tamen piè admodum , ne hac ipsa occasio-
“ ne aliquis pereat , in eadem Ecclesia Dei custodi-

“ tuin

59

“ tum semper fuit , ut nulla sit reservatio in articulo
“ mortis ; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pæ-
“ nitentes à quibusvis peccatis & Censuris absolvere
“ possunt : extra quem articulum Sacerdotes cum ni-
“ hil possunt in casibus reservatis , id unum pænitent-
“ tibus persuadere nitantur , ut ad Superiores & legi-
“ mos Judices pro beneficio absolutionis accedant “
Præstò jam sunt verba alterius citati Can: 11. “ Si-
“ quis dixerit , Episcopos non habere ius reservandi
“ sibi casus , nisi quo ad externam politiam ; atque
“ ideo casuum reservationem non prohibere , quò mi-
“ nus Sacerdos à reservatis verè absolyat ; anathe-
“ ma sit “

Porro si diligenter in rationem & motiva sta-
bilitæ ab Ecclesia , & conservatæ hujusmodi reser-
vationis casuum inspicere placuerit , non alia certè de-
prehendemus , quām ut disciplina Christiana firmius
retineatur , & fideles ab atrocibus flagitiis vel maxi-
mè in dispendium Religionis & publici boni vergen-
tibus , faciliùs deterreantur.

Officii Nostri ratio admonet Nos , ut jure hoc
Nostro ordinario reservationis Casuum utamur , ex
occasione horrendi illius criminis , quod in Sacram
Regiam Majestatem Dominum nostrum Clementissi-
mum die 3. Curr: per nefandam perditissimorum
hominum injectionem manuum in Sacram Ejus &
inviolabilem personam , est perpetratum , quodve
argumento fuit ultimæ Nostræ Pastorali Epistolæ ,

56
quam ad universum gregem Nostrum die 9. Curr:
dedimus.

Testes appellamus omnes quotquot sunt cùm
jurium naturalium , tum Divinarum & humanarum
legum gnari , si quid atrocius concipi , & executio-
ni cum majori disciplinæ Christianæ enervatione , &
pejoribus in bonum commune sequelis , demandari
queat , quàm in vitam Patrum Patriæ & Únctorum
Domini conspirare !

In memorata Nostra Epistola Pastorali die 9.
Curr: data , pro Officii Nostrri ratione , amoreque
boni Religionis & publici conati sumus præci-
puè instruere carissimas Nostras in Christo oves ,
quàm grande sit flagitium in Regis necem conspira-
re , quamqué insigne fuit in optimo Rege tam mi-
rabili modo à cæde servato Dei beneficium , quo
gentis quoque salus , Capite salvo , ab interitu est vin-
dicata.

Pollicemur Nobis , quod omnes , qui citra præcon-
ceptas malè opiniones de rebus judicant , legibusqué
naturalibus Divinis , humanisque parendum esse ad-
huc agnoscunt ; non aliter ac Nos præmonuiimus , a-
pud se statuant , maximè detestabile fuisse crimen illud ,
quod die 3. hujus Mensis adversus Clementissimum
Nostrum Regem est perpetratum , & in maximum hu-
jus sceleris horrorem rapiantur.

Persistendum jam nobis esset in his , quæ sæ-
pefatis literis Nostris Pastoralibus ad deterrendum
Chri-

57

Christi fideles à nefando & post hominum memoria turpissimo crimine regicidii exposuimus. Cum tamen in negotio tantopere delicato , à quo præter observantiam naturalium , divinarum , humanarumquè legum adeò exoptandam , bonum cùm Religionis , tum Regni hujus vel maximè dependet , nunquam superabundanter circumspectum esse liceat ; induximus adhuc in animum , peccatum machinationis , conspirationisque consilio , re , adjutorio , & quovis imaginabili modo , titulo , & prætextu in vitam Sacrae & inviolabilis personæ Regiæ , Nobis Ipsiſ reservare ; prout reapse enuntiatum modò primū peccatum Nobis duntaxat Jpsis ad vitæ Nostræ tempora , hujusque oivilis regimen , Authoritate Nostra ordinaria reservamus , omniumque Presbyterorum tam Sæcularium , quam Regularium ad excipiendas Confessiones approbatorum , vel imposterum approbandorum jurisdictionem ita coarctamus , ut hi neminem ab eo licite & validè præterquam in articulo mortis , absolvere possint.

Quotiescumquè proinde ad quempiam Confessariorum extra periculum mortis accedet pænitens pro absolutione à peccato machinationis , vel conspirationis in vitam Regis , ut supra est enuntiatum ; toties idem Confessarius (præmonito prius pænitente non habere se potestatem ad absolvendum eum ab hoc crimine) ad Nos sive in persona , sive per literas pro

im-

impertienda sibi permissione absolutionis ab hoc casu,
recurrere tenebitur.

Fas est indubie sperare, quod nemo Sacerdotum Sæcularium, tanto verò magis Regularium, cujuscunquè Instituti sub ullo privilegiorum suorum obtentu hujusmodi reservationem nostram eludere audebit; multoties jam enim definitum est, integrum non esse Regularibus, sub prætextu privilegiorum, quæquè illa tandem sint, absolvere à Casibus, quos Lectorum Ordinarii hactenus sibi reservarunt, vel impostorum reservabunt. Hoc est (ut cætera omissimus) quod Sacra Congregatio Interpretum Concilii Tridentini ad Consultationē Sancti Caroli Borromæi: *An Regulares ex privilegiis à Sancta Sede Apostolica impetratis, præsertim autem ex eo, quod nominant MARE MAGNUM, possint in his Casibus, quos sibi Episcopus reservavit, absolvere Confiteentes?* die 10. Iulij 1572. approbante Gregorio XIII. respondit: *Ex facultatibus per hoc MARE MAGNUM, aliave privilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus sibi ab Episcopo reservatis. Simile à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium die 9. Januarii 1601. promulgatum fuit decretū Clementis VIII. authoritate roboratum. Ut verò inanibus ea de re tricis nonnullorum obviam iret; eadem S. Congr: jubente Paulo V. die 6. Januarii 1617. aliud edidit decretum, quo priora confirmavit, atque ad unguem servari præcepit. Ad hæc Ale-*

39

xander VII. die 24. Ibris 1665. inter alias hanc etiam propositionem damnavit: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Et Clemens X. ut aditum obseraret innumeris effugiis, Anno 1670. sua Constitutione quæ incipit: * *Superna Magni Patris familias &c: non solum denuo definivit, per Mare Magnum, aliave privilegia nulli Regularium cuiuscunque Ordinis factam esse potestatem absolvendi à Casibus Episcopo reservatis; sed insuper sancivit, habentes facultatem absolvendi ab omnibus Casibus Sedi Apostolice reservatis, non ideo à Casibus Episcopo reservatis posse absolvere.* At nolumus amplius his immorari, firmissima spe freti, quod hac in re cum Nostræ dispositioni, tum Ecclesiasticis Constitutionibus omnes & singuli Confessarii ex æquo morem gerere studebunt.

Finimus jam præsentem paginam, protestando etiam atque etiam coram Deo O. M. qui abdita cordium scutatur, quòd Scopus tam hujus ordinationis nostræ, quam anterioris Epistolæ Pastoralis de die 9. Curr: fuerit, sitque zelus pro sacrosanctè servandis legibus naturalibus, Divinis, & humanis, amor boni Religionis & Patriæ, fides tandem in legitimum Principem, cuius prosperitas cum salute omnium Civium indissolubiliter est conjuncta; denique ardens studium omnibus præsentibus & anteriores ea de re conatibus probandi huic saeculo,

* Tom: 6. Bull: pag: 305.

tum

60

tum Seræ posteritati nihil saltim Nos , quod ad confundendum & præveniendum atrocissimum nefas machinationis in vitam Sacræ & inviolabilis personæ Regiæ (quantum in Nobis erat) intermisisse. De cætero præsentes literas manu propria subscriptas, Sigillo Nostro communiri , typis imprimi , & viâ Cursoriâ ad omnes Ecclesias Sæcularium & Regularium per venire curari , quorum interest , & hoc pacto eas deduci ad notitiam omnium Sacramentum pænitentiæ administrantium jussimus. Datum Varsaviæ die 21. Mensis Novembris Anno Dni 1771.

ANDREAS STANI-
SLAUS Episcopus, (L. S.)

*Paulus Barsi Curie Episcopalis Posna-
nienensis & Consistorii Varsav: No-
tarius.*